



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

114. Fer. 3. Notabilia 21. in crucifixum jam Christum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

196 *Feria 3. Dom. Palmarum.*

morem meum provocas; ad quantam fiduciam me roboras! *Colloquium* pro affectu: optabile Dominum æterno mei sacrificio satiare.

MEDITATIO CXIV.

*Feria 3. Dom. Palmarum.*

*Notabilia 2. 1. circa crucifixum jam Christum.*

**C**onstituam me in Calvario, ubi Christus est crucifixus à cæcitate, ut loquitur Dominus August. Hom. 8 de S. Steph. in persona Christi: *Cæcitas me crucifigebat.* Petam fructum elicere ex notabilibus, quæ tunc ibi contigerunt.

*Conf. 1.* Septem prodigia Domino in cruce pendente facta. 1. Tenebras super universam terram. 2. Eclipsim, signum è coelo petentium à ludæis: Phlegon ait etiam stellas visas. 3. Velum templi scissum. 4. Terræ motus, quo teste eodem 12. civitates periëre in Asia. 5. Petræ scissæ. 6. Monumenta aperta. 7. Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, resurgentia. Egone solus marmore durior ero, & ad hæc prodigia immotus persistam.

*Conf. 2.* Septem blasphemias contra Christum crucifixum, ejusque potentiam, dignitatem regiam, fiduciam in Deum, veracitatem, humilitatem, bonitatem, divinitatem. 1. Verba Christi in malum sensum torquentur. *Matt. 24. Eliam vocat iste.* 2. *Prætereunt blasphemias*

blasphemabant moventes capita sua: Vah! qui  
destruis &c. Salva te ipsum, si Filius Dei es,  
descende, descende de cruce. 3. Illudebant autem  
ei, & milites accedentes, & acetum offerentes ei,  
& dicentes: Si tu es Rex Iudeorum, salvum te  
fac. Luc. 23. 4. Et stabat populus spectans, &  
deridebant eum Principes, cum eis dicentes:  
Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est  
Christus Dei electus. 5. Similiter & Principes  
Sacerdotum, illudentes cum Scribis, & Senioribus:  
Descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confi-  
dit in Deo, liberet nunc, si vult, eum: dixit enim,  
quia Filius Dei sum. 6. Et qui cum eo crucifixi  
erant, convitiabantur ei, & improperebant ei.  
Hieron. & Theoph. dicunt utrumque a prin-  
cipio convitiatum. 7. Latio imp. citans. Ir-  
risio, & contemptus ultimus impietatis ter-  
minus: quia impius cum in profundum venerit,  
contemnet, & quis auctor horum? Respondet  
Aug. l. 14. de Civ. Dei c. 28. Amor sui usque  
ad contemptum Dei. Reformabo linguam  
quinque modis. 1. Argumenta odij adducere  
contra defectus linguæ. 2. Conscientiam fre-  
quenter examinare circa eos defectus. 3.  
Propositum renovare. 4. Radices inquirere.  
5. Examine particulari uti.

Conf. 3. Septem in morte Christi turbatio-  
nes. 1. Deitas (alioquin impassibilis) tunc quasi  
compatiens videbatur: patiebatur anima im-

mortalis de corpore solvenda: patiebatur Filius ipse in omni parte sensitiva, & rationali. 2. Angeli videbantur turbari, cum viderent Dominum in cruce sic pati, uti amicus dolore solet de malo amici. 3. Turbantur omnia elementa. 4. Turbati sunt & Paganis, quasi puncturis, licet nescierint, unde essent. 5. Turbati sunt etiam Spiritus immundi. 6. Turbatæ sunt animæ Patrum, maluisse quæ poenas inferni pati, quam talem poenam videre in Domino suo. 7. Patiebatur & Virgo cruci assistens sic, ut nullus satis possit considerare. S. Brig. l. 6. c. 11. Egone solus sine sensu hæc accipiam? & amorem proprium auctorem Deicidij sic abire permittam, neque in crucem agam? *Mibi cunctis rebus emendatus est Deus, & crux,* inquit D. Greg. Naz. orat. 30.

## MEDITATIO C X V.

*Feria 4. Domin. Palmarum.*

*De primis quatuor verbis Domini in Cruce.*

**A**spiciam Dominum virum dolorum in cruce prope urbem, mundi caput festo maximo, in quo neminem fuisse verisimile est, qui non interesset, & in Dominum nullum non contumeliæ genus excitaret, ut ait D. Isid. latronibus nil tale facientes. Petam ex singulis Domini verbis in cruce prolatis fructum capere.

*Conf.*